



DISSERTATIO INAUGURALIS  
THEOLOGICA.

DE

SACERDOTIO CHRISTI

AD

*Psal. 109. v. 4. & Hebr. 5. v. 6.*

I.

**Q**uidquid excellentiæ assumptæ à Verbo in unirate Personæ Humanitati, seu Christo Homini, Scripturis Sacris aut sanâ ratione non reclamantibus, concedi potest, eidem à nobis tribuendum esse inter approbata communi consensu Theologorum placita recenseri potest; at quidquid eidem Deo - Homini Divina etiam oracula apertè tribuunt, id omne sinistro intellectu imminuere, ac in alienum sensum detorquere, unicum sæculis retrò proximis circa res fidei novaturientium laborem ac studium esse dixeris.

II. Divinâ doctus inspiratione de Deo - Homine vaticinatus est, qui dixit *Psal. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: Eundem appellatum à Deo Pontificem secundum ordinem Melchisedech superno eruditus Spiritu testatur Apostolus *Hebr. 5. v. 6.* Credit hinc sancta semper Romana Ecclesia & constanter Christum Hominem Sacerdotali à Deo potestate præditum excelluisse, Sacerdotis munere in diebus carnis suæ l. cit. *v. 7.* seu mortalis vitæ functum fuisse, quando  
c rucem,

crucem, & in cruce mortem suscepit, eadēque fungi, dum, quod in ultima cum suis cœna instituit, incruentum quotidie per ministros Sacrificium offert, *Sacerdos in æternum*. Qui ab utroque (Lælio & Fausto) Sociniani audiunt, contendunt Christum Sacerdotem non fuisse, antequam in cœlos ascenderet, Christi mortem non fuisse Sacrificium, sed viam quandam ad illud peragendum in cœlis. DD. protestantes (tam qui se Evangelicos inaniter jactant, quàm qui Reformatorum nomine passim veniunt) Christo Sacerdotale officium etiā in terris non abnuunt, sed Christo Deo, non Homini, aut Homni, non Deo, aut secundum utramque naturam illud competere volunt; Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech pluribus de causis dici non inficiantur, ob similitudinem autem rei oblatæ talem esse præfractè negant.

III. Quam verò absque fundamento dogmatizent DD. adversarii, quàm inconcussum suo nitatur pondere dogma Catholicum, triplici hujus Dissertationis capite Deo juvante dabimus. C. 1. Christum in terris Sacerdotem exhibebit adversus Socinianos. 2. Sacerdotalem Christi Hominis dignitatem explicabit. 3. Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech à similitudine rei oblatæ demonstrabit.

## C A P U T I.

*Christus Sacerdos adhuc in terris semetipsum hostiam & Sacrificium pro peccatis nostris in cruce sponte obtulit.*

IV. Sacerdotes eo potissimum consilio constitutos esse, ut Sacrificia offerant pro expiandis populi delictis omnium penè gentium notio testatur; ipsèque ad hunc sensum Apostolus asserit Hebr. 5. *omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis*. Christum esse à Deo constitutum Sacerdotem post figuras V. T. apertissimè loquitur Epistola Paulina ad Hebr. cap. 6. v. 6. cap. 7. v. 27. c. 8. v. 11. aliter sentientes anathematizat Conc. Ephes. anathematismo sive Canone 10. Quid nunc sociniani, inter quorum perversa dogmata ex præcipuis est, Christum non verè satisfecisse pro nobis, nec nos præstità loco nostrî satisfactione redemisse; quoniam ex agnito Christi Sacerdotio veritatem præstitæ ab eo loco nostrî satisfactionis vehementer adversum se roborari

roborari persciant, effugia quærunt, errores erroribus cumulant, Christum non mortalem olim in terris, sed nunc gloriosum in cœlis Sacerdotem confingunt, ibique interpellando pro nobis eum duntaxat hoc munus exercere comminiscuntur. Præcluso inani effugio commentitia Socinianorum redemptio suâ simul sponte evanescet.

V. Contendimus itaque Christum Sacerdotem adhuc mortalem, semetipsum hostiam & sacrificium pro nobis obtulisse. Duplici hoc momento effectum damus, negativo uno, altero positivo. Sacerdotalem aut dignitatem aut munus negandi Christo mortali, adstruendi duntaxat in cœlis gloriato nulla cogit necessitas: quæ enim illa, nisi ne cogantur veritatem satisfactionis Christi asserere? Hanc verè talem non esse prius probandum est. Nulla etiam suadet aut compellit autoritas, quænam enim? Ad varia Pauli effata appellant, sed ut, quàm temerè, pateat, audiamus appellantes.

VI. Hebr. 2. v. 17. *Christus debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.* Debuit ergo, inquiunt, prius mori, antequam Pontifex fieret; neque enim ante per omnia similis nobis dici potest. At nunquid per omnia similabatur nobis, quando immortalis induit mortalitatem nostram? Finge servum tibi fuisse morigerum, industrium, fidelem &c. hoc morte sublato rogas amicos, alium ut tibi servum procurent, inquiris ipse; sed alium recusas quàm priori per omnia similem: Mortuum ergo servum procurari tibi postulas; neque enim nisi jam mortuus priori per omnia similis secundum te esse poterit. Nonne dum servum per omnia priori similem cupis, similem moribus, industriâ, ac fidelitate desideras, qui sua tibi obsequia præstare utiliter valeat? Non docet Apostolus l. c. quando Christus Pontifex factus fuerit, sed qualis fuerit, *misericors & fidelis, fratribus per omnia similis*, similis similitudine naturæ, ut pati posset, similitudine infirmitatum, ut *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato compati possit infirmitatibus nostris.* Hebr. 4. v. 15. Similis nobis; ut liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti c. 2. v. 15. & quomodo liberaret? *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* En! ut verba Apostoli præcedentia explicent posteriora, & apertè ostendant Christum Pontificem jam ante mortem.

VII. Audiamus iterum: Hebr. 8. v. 4. *Si esset (Christus) super terram, nec Sacerdos esset.* Quomodo ergo Christus Sacerdos ante mortem

mortem? Repono: omnino erat Sacerdos ante mortem & supra terram, sed non terrenus, non legalis, quales erant Sacerdotes Levitici; cum esset de Tribu Juda. Unde post verba relata mox subditur: *cum essent, qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & umbra serviunt caelestium* v. 5. ab his distinguit Apostolus Christum, qui erat Sacerdos altioris ordinis, constitutus singulariter à Deo, qui non per Sanguinem bircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit in Sancta (caelum) aeternam redemptionem inventam. cap. 9. v. 12. Ad haec dixerat Paulus c. praecedente Christum Sacerdotem in aeternum. hic subdit: *Si esset (mansisset) super terram (terrenus Sacerdos) nec (nequidem) Sacerdos esset Levitici ordinis.* Denique duo distingui in Sacrificiis illis legalibus possunt, victimae nimirum mactatio seu immolatio extra Sancta Sanctorum, & ejusdem victimae Sanguinis intra Sancta Sanctorum à Summo Potifice coram arca foederis representatio. Imago haec erat Sacrificii quondam à Christo offerendi; igitur si Christus post oblatam in cruce hostiam in caelum ceu Sancta Sanctorum non introivisset, ut appareret vultui Dei pro nobis c. 9. v. 24. Sed mansisset in terris, defectura fuisset Sacerdotio Christi pars illa praesignata in ingressu Pontificis intra velum, & sic nullum adhuc, seu mancum dici potuisset Sacerdotium Christi.

VIII. Ad c. 5. v. 5. recurrunt; Christus non *semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Posteriora haec, inquit, verba de Christi à mortuis resurrectione intelligenda constat ex Act. 13. v. 33. consequens proinde est Christum non ante resurrectionem Sacerdotali dignitate inclaruisse. Sed quis non videt fluctus feri maris despumantis confusiones suas. Ep. Cath. Jud. Christum Sacerdotem constitutum ab eo, qui dixit ei: *Filius meus es tu*, legitur: tum primò factum fuisse, quando hoc dictum fuit, non asseritur. Nempe authorem Sacerdotii Apostolus manifestat, quo tempore ceperit Sacerdotium Christi hic loci non designat. Ita aliqui. At nunquid de Christo jam in transfiguratione dictum fuerat. Matth. 17. v. 5. *Hic est Filius meus dilectus?* Imò cum baptizaretur in Jordane. Matth. 3. v. 17. quin & ab ipso conceptionis exordio. Luc. 1. v. 32. Angelus eum Filium Altissimi vocandum nunciat. De eodem tempore Apostolum intelligit S. Chryl. hom. 13. in epist. ad Hebr. quando ex verbis citatis ita concludit: *Factus est Sacerdos, quando carnem suscepit.* Apostolo praeluxerat David Psal. 109. *ex utero ante luciferum genui te*, quod explicat S. August. in eundem

eundem Psal. sequentibus : *ex utero virginali, ex utero, quo masculus non accessit. . . . ad hoc enim natus, ut esset Sacerdos.* Dicant adversarii tunc Christum factum Sacerdotem, quando verba relata primò dicta sunt ei, & annuemus; sed hoc post resurrectionem primò factum non esse vidimus.

IX. Non plus roboris habent, quæ coacervant ex c. 7. v. 26. c. 10. v. 5. c. 7. v. 25. priore loco c. 7. Christus Pontifex dicitur *excelsior cælis factus.* Non abnuo, sed Pontificem in cælis factum nego; nec asserit Apostolus. Summum Judæorum Pontificem intrasse quot annis Sacro expiationis die in Sancta Sanctorum novimus, num inferes ante hunc ingressum Pontificem non fuisse? C. 10. mentio fit oblationis à Christo factæ. Neque hoc abnuo omnino; sed audiamus verba: *Ingrediens in mundum dicit: hostiam & oblationem (legalem V. T.) noluisti, corpus autem aptasti mihi. . . . tunc dixi: ecce! venio: Hinc oblationem arguis, actum Sacerdotii.* Quando hunc exercuit? *Ingrediens in mundum: non in cælum. Corpus autem aptasti mihi:* num hoc post resurrectionem? quæso, ubi erant Sociniani, quando hinc pro Sacerdotio Christi in cælis modò inchoato argumentum desumere voluerunt, in mundo, an extra illum, certè sine fronte, sine ratione fuisse dixerò. *Sed hostiam & oblationem noluisti.* Hæc abrogata fuere post Christum in cælos assumptum. Ita est, completivè tunc; inchoativè & de jure jam in ingressu Christi in mundum abrogata fuisse vix quisquam inficiabitur. Ultimo loco: Christus (dicunt), in cælis etiamnum se offerre adstruitur. Verùm de interpellatione Apostolus loquitur, non de oblatione. Oblatio in cruce facta est, interpellatio fit in cælo.

X. Dispellendo hætenus adversa abunde, opinor, ostendimus, nihil esse præsidii Socinjanis in Apostolo, ac proin nullam esse auctoritatem, quæ Sacerdotis cum veritate titulum Christo non in terris, sed unicè glorioso in cælis competere evincat. Atque sic negativè, ut loquimur, dogma Catholicum de Christi in terris Sacerdotio demonstratum dedimus, superest positivis nunc idem argumentis stabiliamus. Plura suppetunt, nonnulla paucis perstringemus.

XI. Ac primò quidem præter ea, quæ jam insinuavimus, ipsum Christi nomen Sacerdotium sonat, Christus enim ab unguento dicitur, quo delibutus in Sacerdotem est; ergò ut à primo ortu Christus est, ita ab ortu Sacerdos est: enimverò ut Christi nomen non perfunctorium, sed substantivum & hypostaticum est, ita Sacerdotium non velut

honoris & dignitatis accessio obtigit, sed tanquam substantiva proprietas est & Personæ germen singulare; cæteris superfunditur in vicem adscititiæ dignitatis oleum, quo Sacerdotes & Christi efficiuntur; at Christo istud ipsa Divinitas Verbi est: itaque nec puncto quidem temporis est, quin Sacerdos sit, cùm eodem unguento substantiali & hypostatico & Christus, & Sacerdos perficiatur. Oleum, quo Sacerdotes inungebantur in lege V. ex S. Aug. lib. 13. contra Faust. c. 15. mysticâ significatione Christum adumbrabat: num Christus, cujus vel umbra Sacerdotes creabat, Sacerdos aliquando non fuit? rectè S. Cyrill. Hieros. Catech. 10. de Christo: *Vocatur duplici nomine: JESUS propter saluationem, & Christus propter Sacerdotium, quo fungitur.* Nec minùs præclare Theodoret. Epist. 146. *Idem ante sæcula Filius erat unigenitus, & Deus Verbum: post incarnationem verò & JESUS & Christus appellatus est, ex rebus vocabula desumens: JESUS quippe interpretatur Salvator, . . . Christus verò appellatus est tanquam Spiritu S. secundum hominem unctus, & factus Pontifex noster.* Quis dubitat Christum Spiritu S. repletum ob ortu suo? Neque tunc functio Sacerdotalis de erat; jam tunc dicebat: *ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Hebr. 10. v. 9. & c. 5. v. 7. *in diebus carnis suæ preces supplicationesque non pro se duntaxat, sed pro nobis etiam Patri offerebat.*

XII. Quod nomen Christi sonat, & Davidis, & Pauli testimonio comprobatur: ab utroque Christus *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech* prædicatur. Nunquam *Melchisedech* nisi Sacerdos memoratur, nec de eo quidquam, nisi quod ad Sacrificium ejus pertineat, sacris literis proditum est: hinc S. Cyrill. Hieros. Catech. 11. cùm *Melchisedech* Sacerdotem typicum dixisset, de Christo subdit: *Semper Sacerdotii dignitatem habuit.* Et ex quocunque capite utriusque Sacerdotii similitudinem duxeris nunquam in cælo potiùs, quàm in terris Christum Sacerdotem secundum ordinem *Melchisedech* invenies. Nos utrobique assimilatum statuemus c. 3. hujus Dissertationis.

XIII. Sed quoniam cruentum præprimis Christi in cruce Sacrificium ab adversariis impugnatur, ad hujus veritatem plenius comprobendam, progredimur, quâ stabilità Christi in terris Sacerdotium in aprico erit. Ab umbris est figuris ordinar: *umbram enim habens lex futurorum.* Hebr. 10. v. 1. præfigurabat & suis ceremoniis, & Sacrificiis etiam cruentis, Christum ejusque Sacrificium pro redemptione humani generis offerendum. De Sacrificiis legalibus S. Aug. L. 18. contra Faust.

c. 6. etiam in his figuræ nostræ erant . . . . Illarum figurarum Christus veritas est, cujus Sanguine redempti, & mundati sumus. Lib. 20. cont. eund. c. 13. Sacrificia illa vocat prædicamenta (præviè datas figuras) venturi unius verissimi Sacrificii, quod pro peccatis omnium credentium offerri oporteret, & paulo post apertius: Hebræi autem, inquit, in victimis pecorum, quas offerebant Deo multis & variis modis . . . . prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Christus itaque in cruce pro salute nostra moriens antitypus erat Sacrificiorum legalium, quorum plurima saltem piacularia fuisse, & expiatoria, notius est ex Levit. Cap. 4. 5. &c. Numer. 6. 16. &c. quàm ut verba recitare necesse videatur. Fatemur quidem, antiquas illas victimas, per se vim non habuisse peccata auferendi, justitiæ Divinæ satisfaciendi, veramque sanctitatem conferendi, quin cum Apostolo. Hebr. 10. v. 4. & 10. confitemur impossibile esse sanguine taurorum & hircorum auferri peccata: nihilominus inquinatos sanctificabant ad emundationem carnis. Hebr. 9. v. 13. & vel hinc figuræ tantùm erant venturi unius verissimi Sacrificii, quod pro peccatis omnium offerri oporteret, ut, sicut per hostiarum illarum sanguinem abstergebatur inquinamentum carnis, ita per Sanguinem Christi detergi labem peccati, doceremur: ablatio proin immunditiæ legalis, vel relaxatio pænæ, quam per modum conditionis operabantur illa Sacrificia, veram peccatorum nostrorum expiationem per Christum designabat, mactatio verò animalium, & effusio Sanguinis pecudum per Sacerdotem facta & adipis crematio mortem Christi in cruce figurabant. Mors igitur Christi Sacrificium erat, antiquis illis Sacrificiis præfiguratum, & Christus in cruce adhuc mortalis semetipsum pro peccatis nostris Sacrificium obtulit idem Sacerdos, ut loquitur S. Ambros. L. 3. de Fid. c. 5. idem & hostia.

XIV. Negant Sociniani omnia V. L. Sacrificia Christum aut ejus Sacrificium adumbrâsse præter solenne illud & anniversarium in die expiationum offerri solitum, Lev. 16. Dato hoc, non concesso, quid sequitur? ergo nullum fuit Sacrificium Christi in terris: Nonne potius inferri oportuit, aliquod fuisse Christi in terris Sacrificium sive uno sive pluribus in lege adumbratum. Sed Augustinum audiant cit. L. 18 cont. Faust. Christus, inquit, in figuris eloquiorum Divinorum & taurus dictus est, propter virtutem crucis, cujus cornibus impios ventilavit, & aries propter innocentiae principatum, & hircus propter similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum: & si quod aliud Sacrificii.

cii genus expressius commemoraveris, Christum prophetatum esse monstrabo, . . . . attende, cui contradicas; cum Apostolo ex Apostolo 1. Cor. 5. v. 6. dico, omnia hæc figuræ nostræ fuerunt. Reponunt iterum; mortem Christi præparationem fuisse ad Sacrificium in cælis offerendum; non ipsum Sacrificium. At ecce! ut denuo mentitur iniquitas sibi. Sacrificia animalium antiqua figuræ erant *victimæ*, quam Christus obrulit, Aug. cit. ubi victima in cælo? figuræ cruentæ cruentum fore portendebant Christi Sacrificium; an tale in cælo Christus offert *semper vivens ad interpellandum pro nobis?* Hebr. 7. v. 25. interpellatio illa Sacrificii præteriti exhibitio, fructuum ejus applicatio, non Sacrificium est, neque hoc vel simili oblationis aut hostiæ nomine appellatum legimus. Sacrificium Christi in lege figuratum expiatorium esse oportebat peccatorum nostrorum, hæc oblatione & Sanguine Christi expiata esse non semel asserunt Sacræ literæ, nullibi interpellatione. Et si Christus interpellando pro nobis Sacerdotis officio fungitur in cælis, cur orando pro nobis in terris eodem functus fuisse negatur? Contendunt demum impiissimi homines, Christum hominum peccata expiâsse non oblato in satisfactionem loco nostri lytro, sed merè exemplariter, aut declarativè, atque ita, ut mors, quam Christus subiit, conditio duntaxat fuerit, sine qua remissio peccatorum data non fuisset, minimè verò Sacrificium Christi peccatorum nostrorum fuisse expiatorium. Verùm contradicit, qui ait Matth. 20. v. 28. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem* (græcè *pretium*) *pro multis.* Nunquid hoc sensu Christus etiâ vitâ suâ, miraculis & doctrinâ peccata nostra expiâsse dici poterit? quod nusquam legitur: nunquid & iis, qui antè mortem oppetiêre, quàm is in carne appareret, exemplum præbuit? & quid tandem mors Christi habuit præ victimis legalibus, meris umbris & figuris?

XV. Sed Paulum audiamus; veritatem in lege solummodo adumbratam, ab eo in plena luce positam intueamur. Eph. 5. v. 2. *Tradidit*, inquit, *semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.* Traditum autem propter delicta nostra ad mortem indicat. Rom. 4. v. 25. Epistolâ ad Hebr. fere totâ commendat excellentiam Sacerdotii Christi supra Aaronicum & Sacrificii supra legalia, nec unquam aliter docet, quàm Christum in cruce obrulisse semetipsum hostiam & Sacrificium pro peccatis nostris. Cap. 7. v. 27. docet, Christum sufficienter expiâsse peccata



peccata nostra se ipsum offerendo semel : *Hoc autem fecit semel se ipsum offerendo.* Idem repetit cap. 9. v. 26. *nunc autem semel, . . . per hostiam suam apparuit.* c. 10. v. 10. eodem modo loquitur : *Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel.* at ubi hæc hostia semel oblata nisi in cruce, nequaquam verò in cælo, ut perperam autumat sæx adversaria? in cælo semper vivit ad interpellandum pro nobis : Ait quoque Apostolus cap. 9. cit. si Sacrificium Christi sæpius repetendum fuisset, eum sæpius debuisse pati : *neque ut sæpe offerat semetipsum. . . aliàs oportebat eum frequenter pati.* tunc ergo Sacrificium semetipsum obtulit, quando passus fuit; Christus verò Rom. 6 v. 9. *resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* audi iterum, in consummatione sæculorum ad destitutionem (alii legunt : ad destructionem) peccatorum per hostiam suam apparuit. In qua consummatione sæculorum? nimirum in plenitudine temporis. Gal. 4. v. 4. *in finibus sæculorum* 1. Cor. 10. v. 11. *in novissimis diebus.* Isa. 2. v. 2. quibus nominibus tempus Salvatoris indicatur. Et in hoc quando? ad destitutionem vel ad destructionem peccatorum. Quando hæc facta est? quando Christus 1. Petr. 2. v. 24. *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Coloss. 2. v. 27. *Delens, quod adversus nos erat, chirographum, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Demum se obtulit, quando per hostiam suam apparuit: gloriosus in cælo non apparet amplius, quin ut c. 10. v. 12. dicitur, *unam pro peccatis hostiam offerens (græcè postquam obtulit) in sempiternum sedet in dextra Dei.* S. Augustin. Serm. 130. de tempore in verba Apostoli 1. Cor. 5. v. 7. ita pro re nostra loquitur : *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* Et ubi immolatus est? dicitur in altitudine crucis *Novum est altare Sacrificii hujus, quoniam & immolatio nova & admirabilis, ipse enim & hostia erat & Sacerdos* Ex eodem fonte hausit S. Leo M. quod Serm. 8 de pass. dicebat : *Siquidem pascha nostrum, ut ait Apostolus, immolatus est Christus, qui sc novum & verum reconciliationis Sacrificium offerens Patri, non in templo, cujus jam erat finita reverentia, non intra septa civitatis, ob meritum sui sceleris diruendæ, sed foris & extra castra crucifixus est, ut veterum victimarum cessante mysterio nova hostia novo imponeretur altari, & crux Christi non templi esset ara, sed mundi.* Jure igitur usurpamus hic adversus Socinianum quemcunque, dictum S. Aug. contra Faust. Manichæum N. XV. allatum : *Attende, cui contradicas : cum Apostolo ex Apostolo dicimus,*

*dicimus, Christum in cruce semetipsum hostiam & Sacrificium obtulisse.*

XVI. Christi in cruce Sacrificium unice & verè expiatorium, verè ac propriè Satisfactorium, ac ceu pretium condignum loco nostri læsæ per peccatum Divinæ Majestati oblatum fuisse demonstrandum equidem non sumpsimus, contenti, præfixum in hac parte scopum attigisse, qui unus fuit, ostendere, Christum ante gloriosum in cœlos ingressum Sacerdotem extitisse; seque ipsum hostiam obtulisse; ultro tamen & hoc pro coronide hujus capitis asserimus. Suffragator hîc iterum ante alios accersendus est Paulus, qui toties hoc ipsum commendat, quoties Christum Pontificem à Deo constitutum seipsum hostiam pro nobis immolasse Hebræis inculcat. Si Christus Pontifex constitutus pro hominibus; ergo erat *in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. Si Pontifex erat *non habens necessitatem, quemadmodum alii Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre.* Hebr. 7. v. 27. Non pro se, sed pro nobis, & loco nostri hostiam unice offerre oportebat: *hoc fecit semel se ipsum offerendo.* Hostia, quam obtulit, sufficiens, condigna, imò superabundans erat, ad jus Divinæ Majestatis peccato hominis læsum reparandum, & honorem, qui ablatum fuerat, restituendum: peccatum supremi ordinis erat in ordine offensæ & injuriæ, offensæ Dei erat, injuria Deo illata erat. Oblatio Christi, & præstita per illam satisfactio supremi ordinis erat in ordine oblationis & satisfactionis: Persona offerens & satisfaciens erat perfectè æqualis personæ offensæ. Divina Majestas offensa non refundit gravitatem in offensam nisi infinitam, ut loquimur, secundum quid. Verbum refundit dignitatem in oblationem Christi infinitam, quantum ad valorem personalem, simpliciter. Ecce hostiam! ecce pretium, non sufficiens, æquale, & condignum modò, sed superabundans, & infinitum. Cap. 10. statim ab initio Apostolus docet legem suis Sacrificiis nunquam potuisse *accedentes perfectos facere*, mox subdit v. 2. *alioquin cessassent offerri.* v. 4 ait: *impossibile est sanguine taurorum & bircorum auferri peccata.* Quare impossibile? quare cessassent? non poterat Deus & illis Sacrificiis uti velut conditione, quâ positâ misericorditer remitteret omne peccatum? quid obstabat? cur ergo impossibile iis auferri peccata? condignum pro peccato pretium esse non poterant: alioquin si hoc fuissent, semel oblata cessassent offerri. Nunc de Sacrificio Christi loquentem audiamus: v. 14. *unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Unde S. Basil. in Pl. 48. *Non dabit Deo propitiationem pro se ipso, quid enim uspiam*

uspium tanti est momenti, quod homo poterit dare pro redemptione animæ suæ: inventum tamen est unum pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus, & omni pretio superior preciosus Sanguis Christi, quem pro nobis omnibus effudit. Atque hæc ex multis pro demonstranda veritate Sacerdotii Christi, & Sacrificii ab eodem loco nostri in condignam satisfactionem oblatis in terris, sufficiant.

CAPUT II.

*Declaratur Christum sacerdotem esse secundum naturam humanam Verbo hypostaticè unitam.*

XVII. Ad controversiæ ex verbis Davidis & Pauli natæ caput alterum devolvimur, Christum non in coelis primùm ad sacerdotalem dignitatem promotum, sed jam in terris eadem præditum, veram semetipsum pro nobis & loco nostri hostiam obtulisse, hîc non ampliùs disputatur. Christus quâ homo sive secundum naturam humanam, an quâ Deus, sive secundum naturam Divinam, an verò secundum utramque hoc munere functus fuerit, unicè controvertitur. Trifariam abeunt dissidentes: primas antiquitati dabimus, & veritati.

XVIII. Statuimus itaque Christum sacerdotem esse secundum humanitatem Verbo hypostaticè unitam. Antequam verò dogmatis hujus catholici firmamenta afferamus, ut ejus in majore luce ponatur veritas, sensum asserti nostri priùs declarandum duximus. Duo in Christo Sacerdote consideranda veniunt, Persona nimirum, seu Christus ipse, & officia sive opera & functiones. In persona seu Christo ipso habenda est præprimis ratio duplicis naturæ, Divinæ & humanæ, quibus eum constare fide docemur, neque inficiantur ii, quibuscum hîc præcisè dividimur. Meminisse dein oportet ordinationis Divinæ Christum Sacerdotem constituentis: nec enim *quisquam sumit sibi Sacerdotii & Pontificatûs honorem, sed qui vocatur à Deo. Et Christus non clarificavit semetipsum, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus est tu - - Tu es sacerdos in æternum.* Hebr. 5. v. 4. & seqq. Officia, sive opera, & functiones quod attinet, duo pariter distinguenda sunt: alterum est operis seu functionis entitas, ut à suo principio elicivo procedens; alterum operis & functionis dignitas, & pretium, aut, si maris dicere, distinguendum principium operis elicitivum sive *quo*, ut loquimur, & dignificativum, sive *quod*. Ipsa opera & functiones secundum se solius naturæ

naturæ humanæ vel potius personæ Christi, quatenus Homo est, sive secundum naturam humanam esse dicimus: etenim quæcunque Sacerdotis propriæ sunt actiones, ut satisfacere, offerre, sacrificare, rogare, docere, pati, ac mori, soli competunt naturæ humanæ, & ab hac profectæ, & gestæ sunt. Actionum verò officiorumque quibus functus est Sacerdos Christus, quæque humana natura exercuit, dignitatem, pretium, æstimabilitatem, cum infinita sit, ex conjunctione Verbi Divini consequi, seu à Verbo tanquam principio dignificativo provenire sentimus. Atque hoc sensu Christum Sacerdotem esse secundum naturam humanam Verbo hypostaticè unitam asserimus. Nunc assertum comprobatum pergimus.

XIX. Qui totus est in illustrando Christi sacerdotio, Apostolus hoc illi competere non ut Deo, sed Homini, & secundum naturam humanam apertè prædicat Hebr. 5, docet ibi & omnem Pontificem ex hominibus assumi, & ex hominibus assumptum constitui in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia. Si Divinitas Pontifex, si Verbum secundum se, aut secundum naturam Divinam Pontifex, cur Christus Pontifex ex hominibus assumptus dicitur? Constituitur Sacerdos auctoritate altiore, non naturâ talis est; & Christus constituitur Pontifex ab eo, qui dixit ad eum: *Tu es Sacerdos*. Ad Verbum dixit hoc Pater, sed incarnatum ut N. 8. ex S. August. discimus. Constituitur Sacerdos ut offerat dona & sacrificia: quomodo hæc offerat Deus Verbum, nisi in humanitate assumpta, aut nisi Humanitas in Verbo subsistens? Hæc sola habet, quod in se & de se Deo gratum offerat, nimirum se ipsam, substantiali Verbi Sanctitate dignificatam: secundum hanc ipse Pontifex noster Christus Hebr. 10. v. 5. *ingrediens in mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem præstasti mihi - - tunc dixi: ecce venio, tanquam Sacerdos oblaturus hostiam*. Igitur Deus Verbum Sacerdos & Pontifex, postquam homo factus est, nec quæ Deus, sed ut verus Homo: quod ad locum Apostoli initio cit præclarè insinuat sanctus Epiph. hæref. 69. *quod, inquit, ex hominibus dicit, ad incarnationem refertur*. Apertius ad rem nostram loquitur Apostolus Heb. 3. *considerate, inquit, Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & Moyses*. Num Christum Apostolum nostrum dicemus secundum naturam Divinam? reclamatione Paulus, qui Moyse illum assimilat, & fidelem dicit ei, qui fecit illum: secundum eandem autem naturam Pontificem, & Apostolum dictum intelligimus. Factum hic iterum Pontificem legimus: absit autem, ut Verbum ipsum factum, &

Verbum

Verbum Deum Patre minorem arbitremur: Arianorum hæc blasphemiæ sunt, quos optimè refutat S. Athanasius Orat. 3. adversus eosdem: *Verbum, quod est Opifex, postea factum est Pontifex, cum induisset corpus factitium & creatum.* Quos pariter, & nostros hic adversarios perstringit S. Epiphanius. cit. dum præsentem Pauli locum explicans scribit: *hoc unum declarare voluit Apostolus, post susceptam hominis naturam Pontificiam ei dignitatem attributam fuisse.* Si Pontificia dignitas attributa est Christo Homini, Christum ut Hominem, non ut Deum, Sacerdotem confiteamur, oportet. Paulus certè c. 2. v. 17. de Pontifice nostro loquens, ait, *eum debuisse per omnia fratribus similari, ut misericors fieret & fidelis Pontifex.* Similatum per omnia nobis in carne nostra novimus. Pontificem factum, cum pro similitudine nostra carnem induit, audivimus, sed cur, ut Pontifex fieret, similari nobis hæc ratione debuit, si ut Deus, si secundum naturam Divinam Pontifex est, ut quid similari nobis necesse erat? ut misericors, ais, & fidelis Pontifex fieret: at misericors Deus, fidelis Deus semper erat; sed ut Pontifex fieret, debuit in carne assumpta similari nobis, in carne ergo assumpta, & secundum naturam assumptam Pontifex Christus, non secundum Divinam. Paulo adversaris, veritati contradicis, si aliter dogmatizas. Demum Sacerdotium Christi cum ejusdem mediatione jungamus; Sacerdos enim Interventor ac Mediator est Deum inter & homines. Quomodo Christus Mediator? 1. Tim. 2. v. 5. *unus Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus.* Ecce ut denuo nomen & officium Mediatoris, Christo Homini vindicatur: Homo dicitur Christus Jesus, non Deus, non ut Divinitas excludatur, sed ut officium sive Mediatoris, sive Sacerdotis Christo secundum humanitatem in executione competere dignoscatur. Non ex hoc Solùm loco, sed ex evangeliiis etiam hoc ipsum scitè arguit S. August. l. 2. c. 3. de consens. Evangel. Sic autem loquitur: *cùm ergo Matthæus circa Regis, Lucas circa Sacerdotis personam reveret intentionem, utrique humanitatem Christi maximè commendaverunt: secundum hominem quippe Christus est Rex, & Sacerdos effectus est, cui dedit Deus sedem David Patris sui, ut regni ejus non esset finis, & esset ad interpellandum pro nobis Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus.*

XX. Functiones & officia Christi Sacerdotis, quæ supra jam attigimus, nunc altiùs inspiciamus. Sunt hæc satisfacere, sacrificium offerre, rogare, pati, mori &c. Verbum pro nobis satisfecisse, pro nobis passum, & mortuum dicimus, & dicendo Verbum in duabus natu-

ris Divinâ & humanâ subsistens ex fide cognoscimus, Christum secundum hominem confitemur: at secundum quam naturam satisfecisse, passum, aut mortuum dicemus? secundum Divinam? Audianorum errorem saperet; secundum humanam ergo naturam hæc de Christo unicè cum veritate asseri, & secundum eandem Christum sacerdotem esse tenendum est: Christum Sacerdotem interpellare pro nobis, hostiam dedisse semetipsum pro nobis vidimus cap. præced. Inferioris est interpellare apud superiorem, sacrificium latria est & testificatio quædam servitutis; ergo non nisi superiori ab inferiore, creatrici à creata natura potest impendi. S. Cyrilli glaphyr. L. 2. apud Thomass. de incarn. L. X. C. IX. argumentum istud erat adversus eos, qui Melchisedechum Sacerdotem in scripturis sacris nominatum Spiritum S. esse delirabant. Sic arguit: *neque dubium esse poterit, quin, qui alteri alicui sacrificat, non sibi ipsi, sed Deo, ut superiori sacrificet. Quocirca si dicimus spiritum S. Sacerdotio fungi, Divinâ omnino naturâ inferior erit, & creaturis accensebitur, adorabitque una nobiscum - - - quo pacto igitur Deus secundum naturam erit?* Subinde simili modo nobiscum de Filio ratiocinatur: *Sciendum enim, inquit, est, quod neque ipse Filius Verbum ex Patre, Sacerdotio fungi dicatur, & in Sacrificantium ordine esse, nisi in quantum homo propter nos est factus, & sicut vocatur Propheta & Apostolus propter humanitatem, quam assumpsit, ita etiam Sacerdos; conveniunt enim formæ servitutis servilia, atque hoc exinanitio est.* Postremò si Christum Sacerdotem asserimus, perfectissimum illi Sacerdotium adscribamus, necesse est, sed tale non erit, nisi secundum eandem naturam Sacerdotem statuamus, secundum quam victimam confitemur. Nam quod Sacerdotes pecudem, aut aliud suo loco subrogarent, immolaréntque, eo argumento declarabant, non omnes se Sacrificii partes implere, sed aliquas hostiæ suæ vicariæ committere, atque hinc Sacerdotes ante Christum umbræ tantùm serviebant, modò autem solius summi Sacerdotis se ipsum offerentis ministri duntaxat sunt. At nunquid naturam Divinam hostiam refugis, & victimam dicere? humanæ ergo naturæ Verbo unitæ, quam victimam profiteris, specialem esse dotem Sacerdotium confitere. Confessione hæc prævit S. Fulgentius. L. 3. ad Trasim. C. 30. *Idem homo Christus est, qui pro nobis & Pontifex factus est, dum passioni semetipsum obtulit, & hostia factus est; dum passionem ipse suscepit: huic dicitur: Tu es Sacerdos - - - & Sacerdos tamen & hostia humanæ naturæ tam officia cognoscuntur, quàm nomina.*

XXI. Orthodoxa dedimus, opposita adversantium sensa disquiramus. Missis, Arianis, Nestorianis, & simili contactis labe, qui ipsum incarnationis mysterium evertunt, quosque privatis exercitationibus confutatos, modò persequi præscriptæ vetat ratio brevitatis, recentiorum duntaxat aliter sentiendi libidinem referre hic primùm, succinctè postea reſellere est animus. Concors erat protestantium universim sententia, Christum Mediatorem, seu Sacerdotem esse secundum utramque naturam. Non diu stetit adversa veritati concordia, turbavit eam Andreas Osiander. Hic impugnaturus imputativam per fidem merè apprehensam reliquorum justitiam contendebat homines justificari per ipsam substantialem Christi sanctitatem justis inhabitantem, Christumque solum quà Deum, & secundum naturam Divinam esse nostram justitiam nostrum Mediatorem ac Sacerdotem. Osiandro mox totis conatibus se opposuit Franciscus Stancarus, nectamen aliter ac olim Euttyches Nestorio, uterque adversùs novæ hæresis inventorem insurgens acriùs, in alium turpiter prolapsus est errorem. Osiander soli Divinitati, Stancarus soli Humanitati etiam à Verbo præcisæ, & seorsim consideratæ jus, & munus Pontificale adjudicavit. Adversùs Stancarum demum cum Tigurinis, & aliis stilum acuit Calvinus epist. duplici ad Fratres Polon. datâ, ita quidem, ut Verbum ante carnem etiam assumptam Pontificem adstrueret. prò! quot monstra errorum! sed unde prognata? Calvinus responso ad Fratres Polonos de Stancaro, ejùsque relato errore scribit: *est illud non absurdum modò, sed exitiale commentum, quo vir ille fastu turgidus, & novitatis nimium cupidus orthodoxæ fidei principia labefactare conatus est. Dolendum sanè est, quod hominem, qui prodesse alioquin poterat, mater hæreseon ambitio ad nocendum impulit. adeo enim frivole sunt, quas obtendit, rationes, ut satis appareat, nihil aliud esse, quàm acuti ingenii famam, ab aliis dissentiendo captâsse.* Belle Calvinus de Stancaro. Sed nunquid id ipsum de ipso & singulis allatarum opinionum authoribus, patronis, & sequacibus jure meliore dixerimus? frivolas tantummodo singulorum rationes examinemus.

XXII. Christus secundum utramque naturam sacerdos est, dicunt primi ab utroque parente Islebienti & Genevensi edocti. At quomodo? quo fundamento? duplex, reponunt, operationum, quos summus Sacerdos noster exercuit, genus est: humanitati aliæ, aliæ Divinitati congruunt. Pati, mori humanitatis est; illuminare mentes hominum, peccata remittere, Spiritum S. dare, sanctificare, Ecclesiam etiam absen-

tem gubernare, Divinitatis: utrique ergo naturæ, inferunt, commune est Sacerdotium, secundum utramque Sacerdos est. Quid ineptius? nonne sic discurrere oportebat: pati, mori pro peccatis hominum Mediatoris erat, & Sacerdotis; illuminare, peccata umittere, & his affinia Mediatoris non sunt, sed ejus, ad quem Christus Mediator, & Sacerdos constitutus est, Dei; aut certè Mediatoris esse dici possunt, quatenus hic similia, ut à Deo præstarentur, & gratiam, quâ præstantur, passione ac morte suâ meritis est: sed pati, mori, mereri Divinitatis non est, ergo Christus Sacerdos non erat secundum Divinitatem. Fortasse mysterium feliciùs explicuit Calvinus responso ad Frat. Polon. de Christo Mediatore adversus Stancarum? ita autem habet: *sicut ratiocinatur Apostolus, Christum, ut nobis esset frater, oportuisse fieri participem carnis nostræ & sanguinis: ita vicissim, statuendum est, eadè cum Patre Divinitate fuisse præditum, ut dux nobis, ac director esset ad Patrem, quod propriè Mediatoris officio convenit: sicut alias quoque ejus partes implere non potuit, nisi Divinâ sua virtute: nam mortem & Diabolum vincere non fuit hominis, justitiam acquirere, vitam afferre, & quæcunque ab ipso beneficia percipimus, præstare non poterat solus homo - - - quo clarè ostendit (Apostolus) neminem huic muneri parvum, & idoneum esse absque Divinitate.* Ecce denuò ineptias! quis Catholicorum negavit unquam oportuisse Mediatorem ac Sacerdotem nostrum esse Deum? nec quæritur, an persona Mediatoris ac Sacerdotis sit Divina: sed an actiones vel passionis Christi Sacerdotis profectæ sint ab ejus Humanitate tantùm, scilicet ut Verbo unitâ, quod unicè affirmamus, nec relata Calvinii verba evincunt contrarium. Si Sacerdotis & Mediatoris officio conveniebat, ut *dux nobis ac director esset ad Patrem*, exemplo & doctrinâ id fiebat Christi Hominis: si de directione invisibili & interna sermo est, quæ fit per gratiam prævenientem & adjuvantem; Christus Sacerdos gratiarum illarum causa tantùm meritoria est, collator solus Deus intuitu meritorum Christi: eadè planè ratione justitiam, vitam interiorè gratiæ, omnia dona supernaturalia à Deo ex meritis Christi accipimus: mereri Christi erat secundum humanitatem Verbo unitam; largiri, quæ Christus meritis nobis fuit, Dei solius: hoc qui Mediatori ac Sacerdoti adscribit, consequens est, ut toti Sanctissimæ Trinitati Mediatoris ac Sacerdotis officium fateatur esse commune. Vincere mortem & diabolum, quidnâ hominis fuerit? vicit satisfaciendo, & iterum merendo nobis gratias, quibus & nos  
vin-



vincere possimus. Actiones meritorias & satisfactorias humanitas pe-  
nebat, Verbum valorem, dignitatem, & pretium tribuebat. Vicit  
& Christus Homo, mortem sibi, resurgendo secundum humanitatem,  
suscitante Deo, non Mediatore. Quid porro Calvinus? ibidem paulò  
post, *verè, inquit, etiam dicitur, omnes, quibus ad reconciliandum nobis  
Deum functus est, actiones, ad totam Personam spectasse, ut non debeant  
separatim ad unam tantum naturam restringi.* Quomodo verè dicitur actio-  
nes omnes ad totam personam spectasse, ut non debeant ad unam natu-  
ram restringi? Si tota persona Christusest, aut naturas confundit cum  
Eutyche, aut, quod uni naturæ proprium est, cum veritate prædica-  
tur de altera in abstracto, diciturque Divinitas non minùs mortua,  
quàm humanitas, quod blasphemum est. Et cur actiones illæ ad unam  
naturam restringi non debent, cum Calvinus ipse mox subiiciat, *quasdam  
actiones per se unam naturam respicere?* quanquam nec hic satis connexè  
loqui videatur, cum post priora denuo addat, *easdem quoque actiones  
propter consequentem effectum ambarum naturarum esse communes,* ut vel  
hinc ambas naturas respicere secundum ipsum dicendæ sint. Sed quid-  
quid sit, ut Calvinus, vel qui à partibus ejus stare volunt, ostendant  
Christum secundum utramque naturam Sacerdotem aut, Mediatorem  
fuisse, nihil agunt, nisi palàm faciant actiones Sacerdotis, & maximè  
præcipuam, quâ Christus officium Mediatoris, & Sacerdotis consum-  
mavit, ipsam nimirum sui oblationem ceu hostiam pro nobis in cruce,  
ab utraque naturâ elicitive, & tanquam à principio formali *quo* profe-  
ctam esse, quod Calvinus totâ eâ epistolâ, ut ut multa in hunc finem  
satis confuse congerat, præstitisse non deprehenditur.

XXIII. Osiander clamat: Christus est Mediator & Sacer-  
dos secundum solam Divinitatem. Cum hoc, an prioribus sentiat  
auctor Dissertationis Theol. Philolog. primæ de Christo triumphante  
hic editæ anno 1742. & libri de doctrina de Regno Dei in lucem dati  
Francofurti ad Mœnum 1755. meritò dubites. In posteriore opere §.  
47. scribit: *Non negamus Christum ut Deum & Hominem esse Sacerdotem.*  
Ecce Sacerdotem secundum utramque naturam. In præf. prioris §.  
VIII habet: *Idem Sacerdos quoad Divinitatem, & victima quoad Huma-  
nitatem.* Hic soli Divinitati dignitatem Sacerdotalem tribuit, & cum  
Osiandro loquitur. Auctorem utriusque operis Collegam Academicum  
in multis colendissimum veneror: sed veniam dabis D. Collega Acade-  
mice,

mice, quod te meum hinc adversarium compellem: Subscriberem assertis tuis, si, quod assertis, probarent ea, quæ post asserta subnectis. Laudo tamen ingenuitatem in Dissert. cit. confitentis, asserta tua *captum humanæ rationis superare*, utpote *solis iis rectè cognita, quibus ipse per Spiritum revelavit Filius*. At ubi hoc tibi revelavit? allegas in Dissertat. Hebr. 9. v. 14. Ephes. 5. v. 2. Sacerdotium atque Sacrificium Christi Sacerdotis ibi revelatum agnosco; revelatum esse, quod Christus sit Sacerdos quoad Divinitatem, non lego: Ad Hebr. dicitur: *Qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum Deo.* ad Eph. *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.* Liquidò hinc docemur Sacerdotium humanitatis. Inferior superiori, homo Deo, non æqualis æquali, aut sibi ipsi Sacrificat: utrobique idem significatur, offerens & hostia: *obtulit, tradidit semetipsum hostiam.* Hostiam humanitatem dicis, dic & offerentem Christum secundum humanitatem. Vertamus paginam Paulo antè §. 9. Dissertationis scribis: *orat pro nobis ut Sacerdos.* Qui orat alium, inferiorem se oratione suâ profiretur eo, quem orat: Christi orationem evacuas, & communi sensui contradicis, si aliter sentis: oratio Christi intercessio erat; intercessio humiliantis se nota est: sed Christus *ut Sacerdos*, te asserente, orat pro nobis: quid inferam, nisi Christus orans pro nobis inferior est eo, quem orat: pro nobis? Itaque secundum te Christus Sacerdos est quoad Divinitatem, Christus ut Sacerdos secundum te orat pro nobis Deum, ergo secundum te Christus ut Deus, & quoad Divinitatem orans pro nobis inferior est Deo, quem orat pro nobis. Absit Arianum te esse velle credam: neque asseram si in quo peccet argumentatio, ostenderis. Lib. de doctrina de Regno Dei post relata ita pergis: *ut hoc statuamus, exigit dictum Hebr. 2. v. 17. Verba damus: unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum ut repropitiaret delicta nostra.* Ecce iterum pro Sacerdotio Christi, ut Hominis peroras; ut Homo similatus est nobis, ut Homo propitiavit delicta nostra, satisfaciendo pro nobis. Si de remissione delictorum Apostolum intelligis; à scopo aberras, remissionem illam Dei, sed non Mediatoris, non Sacerdotis fuisse jam dictum est: *sed tamen, subjungis ibidem, quando humanitas spectatur ut Sacrificium, Divinitas, ut Sacerdos considerari potest.* Duplicem præterea Scripturæ locum profers Hebr. 9. c. 14. Hunc tibi adversari vidimus. Joan. 17. v. 19. *pro eis ego sanctifico me ipsum.* Quid est: Sanctifico

Sanctifico me ipsum? Si cum S. Aug. de sanctitate substantiali à Divinitate in Humanitatem Christi derivata intelligis, pro Sacerdotio nihil probas: neque enim hæc sanctificatio functio Sacerdotalis erat: si genuinè intelligis, ut idem sonet, quod, offero me ipsum in hostiam sanctam, pro Sacerdotio Christi, quoad Divinitatem nihil evincis, Sanctificans sive offerens & hostia idem sunt: *Sanctifico me ipsum*. Persona utique est offerens, sicut loquimur, denominativè & ut quod, sed secundum naturam, quæ est offerens, ut quo, seu principium formale voluntatis actualis se offerendi, & oblationis actualis. Ac proin sicut Persona Christi secundum humanitatem est hostia, sic secundum eandem est offerens & Sacerdos. Ecce! quàm merè existimatâ nitaris revelatione. Rectè igitur S. Fulgent. relat. N. XX. *Et Sacerdos & hostia humanæ naturæ tam officia cognoscuntur, quam nomina.*

XXIV. Quæ pro vindicando naturæ Christi Divinæ aut soli, aut conjunctim cum humanitate Sacerdotio proferunt Osiander & alii, sive ex scripturis sacris, aut PP. sive ex ratione, unâ ferè animadversione N. XXVIII. traditâ dispelluntur, pleraque enim plus, non evincunt, quàm citra consortium Divinitatis Hominem Christum Mediatoris & Sacerdotis partes exequi proficue non potuisse, quod ipsum affirmamus, sed cum S. Aug. qui, cum L. 9. de Civ. c. 15. dixisset: *quærendus est Mediator, qui non solum homo, verùm etiam Deus sit.* Sic profequitur: *non tamen ob hoc Mediator, quia Verbum --- sed Mediator, per quod homo.* Alia confundunt vel principia operationum Christi, quod & quo, vel inter opera ejus, & officia non distinguunt, & quidquid quæcunque ratione Christo convenit, Mediatori adscribunt. Quem verò latere potest, ob duplicem, quæ Christum constare credimus, naturam, cum discrimine hic loquendum esse de eadem persona? Quæ solius virtutis Divinæ sunt, Verbo cum Patre & Spiritu S. communia sunt, nec Christo Mediatori, nec Sacerdoti, propria. Quæ vires humanas superant, per hominem tamen fieri existimantur, ut opera miraculosa, horum efficientia saltem principalis Deo debetur, Humanitati quoad hæc aliqui causalitatem physicam instrumentalem concedunt, nos solum moralem meritoriam aut impetratoriam. Quæ spectant ad officium Mediatoris & Sacerdotis, ea duntaxat dicenda sunt, quæ meriti & Satisfactionis vim obtinent: horum principium quo & elicativum Humanitas est, Deus Verbum autem principium quod & dignificativum. Exemplo sit illud, quod identidem nobis ogganniunt. 2. Cor. 5. v. 18. 19. *Omnia ex Deo, qui*

quæ nos reconciliavit sibi per Christum - - - erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. Sed vis argumenti nulla est? omnia ex Deo, quis negat? etiam Mediator & Sacerdos Christus nobis datus est à Deo Tri-uno, ut nos eidem reconciliaret, pro nobis satisfaciendo. Erat Deus in Christo, aliàs condigna non fuisset ejus satisfactio: erat & Homo, ut satisfacere posset. Erat Deus reconcilians sibi mundum, acceptando satisfactiones & hostiam, quæ Christus Sacerdos in ara crucis pro nobis obtulit. Nec aliud loquuntur Patres. Adversarii Eusebium Cæsar. obtrudunt L. 1. contra Iabell. de Christo ad baptismum accedente dicentem: qui videbatur erat agnus Dei, qui autem occultabatur Sacerdos Dei. At nobis auctoritas hominis Arianâ tabe infecti flocci est, triumphant eadem illi, quos eadem pestis afflavit.

XXV. Stancariani vociferantur non Divinitati, nec soli, nec in consortio Humanitatis, neque Verbo, quæ Homini sive secundum naturam humanam, sed soli Humanitati deberi pontificale officium. Argumenta proferunt sequentia: ex scripturis. 1. Tim. 2. v. 5. unus Mediator ... Homo Christus JESUS. Rom. 5. v. 15. Donum in gratia unius Hominis JESU Christi. & 1. Cor. 15. v. 21. per hominem mors, & per hominem resurrectio. Ex his verò locis aut nihil pro Sacerdotio nudæ Humanitatis efficiunt, aut ipsi de Nestorianismo convicti, ejusdem impietatis reum agunt Apostolum: vel enim de nudo Homine non subsistente subsistentia Verbi, vel de Homine - Deo, seu Humanitate hypostaticè unita Verbo intelligunt? si primum; Paulum Nestorii prodromum faciunt, Stancarum ejus discipulum & sese utriusque sequaces fatentur: si secundum: nonne actiones sunt suppositorum, & consequenter Verbum, seu Christus secundum naturam humanam est Sacerdos, cum non debeat homo à Verbo separari. Ex ratione sic arguunt, & duplex ex opposita sibi adversantium sententia absurdum deducunt: si sola, ajunt Humanitas dicitur Mediatrix & Sacerdos, idem satisfecisset; idem sacrificium obtulisset sibi ipsi, nimirum Verbum, seu Deus Deo; neque minùs Patri, ac Spiritui S., quàm Verbo deberetur Character & titulus Mediatoris & Sacerdotis. Viderint hîc, quid Stancarianis reponant ii, quos Superioribus Numeris impugnavimus: secundum nos Christus-Homo, sive Verbum in humanitate sibi unita satisfecit, Sacrificium obtulit sibi ut Deo: & sicut solum Verbum naturam humanam suscepit, ut Mediatorem & Sacerdotem ad Deum pro nobis ageret in natura humana tanquam sua sibi que soli propria, non verò Pater, aut Spiritus S.; ita  
quamvis

quamvis natura humana in Christo unita esset Divinæ, quæ Verbo eadem est cum Patre & Spiritu S., cum tamen natura humana à Verbo assumpta non fuerit natura Patris aut Spiritus S., sed solius Verbi incarnati, huic soli Sacerdotium proprium, & non commune Patri, ac Spiritui S. esse dicimus. Quod Stancarum gloriatur autoritate Magistri sententiarum, D. Bonaventuræ & Doctoris Angelici, PP. & Scholasticorum, nemini non rerum gnaro potest risum movere. Unanimi hi omnes consensu Christum, in quantum homo est, Mediatorem & Sacerdotem vocant; sed hominem hic vel solo cogitatu ab ipsis separari à Verbo palmare & Stancarianum mendacium est.

XXVI. Quid demùm Calvinus, ut quod contra Stancarum ad Polonos scribit, persuadeat, nimirum *Mediatoris nomen Christo quadrare, non solum ex quo carnem induit, vel ex quo munus suscepit reconciliandi cum Deo humani generis, sed ab initio creationis, ante lapsum Adami & alienationem ac dissidium humani generis à Deo?* percipite magni Theologi rationes: quia semper fuit caput Ecclesiæ, & primatum tenuit etiam super Angelos; quia est primogenitus omnis creaturæ; quia, quatenus æternus Dei Sermo est, ejus gratia conjuncti fuerunt Deo tam Angeli, quàm homines, ut integri perstarent; quia Angelos eximunt ab ejus imperio, qui negant eum respectu Divinitatis fuisse Mediatorem, quia Joan. 5. v. 26. Mediator descendit, ut vitam haberet in semet ipso; sicut Pater; quia lex data est per Angelos, in manu Mediatoris quem Patres dicunt fuisse Filium Dei. Quia Christus olim à Patre mittendus erat pro salute hominum, & quod ad Patrem attinet, nihil ejus intererat, essent ne facta hæc, an facienda. Hæc sparsim leguntur in utraque, maximè priore epist. cit. Sed quot contradictiones! quot falsa aut impertinentia! Christo quadrat nomen Mediatoris ab initio creationis, antequam suscepit munus reconciliandi cum Deo humani generis: & tamen juxta Calvinum eadem epist. ex quo à Deo per defectionem alienatus est Adam, ut reconciliatione opus esset, præordinatus fuit Christus. Quæ connexio? Ab initio creationis, ante susceptam carnem & munus reconciliationis, ubi erat Christus? Christus Verbum sonat humanâ carne indutum. Si Christus idem est quod unctus, aliquid sit, quod, aliquid quo dicatur unctum, necesse est, Humanitas nimirum & Divinitas in eadem hypostasi unitæ: sive humanitas Verbi Divinitate unctâ. Ad quid Mediator cum reconciliatione opus non esset ante defectionem Adæ? Quomodo Mediator, Angelorum, qui à Deo nunquam erant divisi? Me-

diator nisi inter dissidentes esse non potest. Sed, *quatenus æternus Dei Sermo est, ejus gratia conjuncti fuerunt Deo tam Angeli, quam homines, ut integri perstarent.* Quæso? quinam homines integri perstiterunt? si gratiâ Christi, *quatenus æternus Dei Sermo est,* perstiterunt tam Angeli, quam homines, ergo hanc gratiam Christus Mediator, & quatenus æternus Dei Sermo est, vel merito suo vel intercessione obtinuit, five autem intercessione, five alio suo merito eam Christum obtinuisse dicat Calvinus, Christum *quatenus æternus Dei Sermo est,* Patre minorem fateri compellitur: quando verò hoc ultro fatetur eadem epist. paulò ante finem dicens: *neque verò, quod pronuntiat Christus Joan. 14. v. 28. se Patre minorem esse, sic de Humanitate intelligitur, quin ad totam personam spectet:* quis temeritatis arguet, si Calvinum de Arianismo suspectum habeamus? Reliquas Calvinii rationes lustremus. Christus dicitur *caput supra omnem Ecclesiam Ephes. 1. v. 22. Caput omnis potestatis & principatus. Coloss. 2. v. 10. in omnibus primatum tenens. Coloss. 1. v. 18.* Loquitur autem Apostolus ubique de Christo post carnem assumptam; estque *Caput & primatum tenens* propter præminentiam supra Angelos, non propter influxum gratiæ, vel certè secundum alios propter influxum gratiæ meritis Christi Hominis comparatæ. *Primogenitus omnis creaturæ* appellatur Coloss. 1. v. 15. Intelligamus hæc de solo Verbo: ergo soli Verbo, ac Deo quadrat nomen Mediatoris ac Sacerdotis: quæ consequentia? Paulus infectatur eâ epistolâ Simonem Magum, eique similes hæreticos, docentes, non Christum, sed Angelos esse nostræ salutis Mediatore: contra hos ostendit Christum præcellere Angelis, esse Caput illorum, primogenitum omnis creaturæ, nuspiam verò Christum vocat Mediatorem Angelorum. Christum, *quatenus æternus Dei Sermo est,* verusque Deus, gratiæ Angelis datæ auctorem fuisse, ac largitorem, non diffitemur, sed ceu Mediatorem hanc illis meruisse, auctoritate Calvinii non vincimur. Imperium supra Angelos Christo Homini adstruimus, tantum abest, ut Eidem Deo illud disputemus. Joan 5. v. 26. non legitur, Mediatorem descendisse, ut vitam habeat in semetipso, sed solum: *sicut Pater habet vitam in semetipso; sic dedit Filio habere vitam in semetipso.* Hoc de Filio etiam incarnato verè dicitur: quid hinc pro sua causa excuspet Calvinus? quâ autem ratione nos vitam habeamus per Christum, constat ex præcedentibus. Mediator, in cujus manu per Angelos ordinata lex perhibetur ad Gal. 3. v. 19. verisimilius fuerat Moyse, quo mediante Lex per

per Angelos data fuit Judæis, neque enim decebat Angelos ad hoc uti ministerio Verbi: rem pluribus tradit Corncl. à Lapide ad hunc locum: PP<sup>e</sup> aliter sentientes vel etiam Christum ut Deum sive Verbum Mediatorem ac Sacerdotem ante carnem assumptam appellare visi, Calvino non favent, sed Mediatorem vocant, non quod actu esset, sed quod talis futurus erat, aut quo Mediatoris ac summi Sacerdotis nostri Divinitatem indicarent, minimè verò quod utrumque officium soli Divinitati proprium sentirent. Unus ferè, ut nihil dissimulemus, hic nobis adversarius videri posset apertius S. Cyrill. Hieros. Catech. 10. ita scribens: *Christus est summus Sacerdos, immutabile habens Sacerdotium, quod neque à tempore capit. sed mens S. Præsulis alia non est, quàm docere, Christum nec naturali successione, nec electione, nec materiali inunctione Sacerdotem factum, ac consecratum fuisse; quapropter mox subdit: neque ex corporea successione accipiens Sacerdotium, neque factitio oleo unctus, sed à Patre ante sæcula, quantum nempe ad præordinationem Divinam; Et certè, dum Christum dicit, jam incarnationem respicit, ut Nro. IX. ex Theodoreto vidimus. Ad ridiculam Tigurinorum vel Calvini posteriore epist. expositionem de æterno Christi Sacerdotio ac Mediatoris officio, hoc unum reponimus: si Christus, ut epistola habet, non quatenus est ejusdem cum Patre essentiæ, sed quatenus olim à Patre mittendus erat, ut homo fieret . . . pro Hominum salute, potest dici Sacerdos ac Mediator ante carnem assumptam, quia, quod ad Patrem attinet, cui futura omnia sunt præsentia, nihil ejus intererat, essentiæ facta hæc, an faciendæ; etiam defacto dici orthodoxè poterit, Christum tanquam Sacerdotem ac Mediatorem etiamnum pati, mori &c. quia, quod ad Patrem attinet, nihil interest, an sint hæc defacto an præterita. Nonne æquè absurdum prius, ac hoc posterius? manet igitur Christum non ante, quàm in carne assumpta Sacerdotem ac Mediatorem fuisse, aut utrumque officium exercuisse.*

*Christus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, ostenditur ex similitudine rei oblatæ.*

XXVII. Ad principem ferè controversiæ de Sacerdotio Christi partem delati videri possumus, ubi vela primùm dissertationis latius pandere oporteat, quæ tamen & præscripta brevitatis, & ipsa materiæ hujus pertractandæ occasio arctius contrahere jubet. Argumentum concertationis præsentis theologicæ unicum est Verbi incarnati mysterium, hoc ansam præbuit de ejusdem Verbi in carne Sacerdotio disse-

differendi. Christum Sacerdotem in terris, & secundum Humanitatem à Verbo hypostaticè assumptam propugnauimus hætenus, eundem Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech, qualem cum Davide Paulus commendat, superest, ut proponamus.

XXVIII. Unanimis Catholicorum sensus in scripturis sacris, ac manifesta Patrum traditione fundatus, est, Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech esse, & dici, quod in Melchisedechiana panis & vini oblatione. Gen. 14. v. 18. incruentum Christi in ultima cœna sub speciebus panis & vini primitus ab ipso oblatum, & ex ejus institutione jugi observantia in Ecclesia offerendum, SS. scilicet Eucharistiæ Sacramentum, & Sacrificium fuisse præfiguratum, atque ita similitudinem intercedere inter utriusque Sacrificium ex parte rei oblatae. DD. Protestantes universim, & quotquot ferè ab antiquis Catholicorum sacris recessere, inductas noviter religiones secuti, agnoscens admissâ hâc figurâ vehementer se urgeri ad agnoscendum figuratum, omnem aliam Christum inter & Melchisedechum, præter unam inter utriusque Sacrificium ex parte rei oblatae similitudinem concedere non detrectant; hanc unam ut evertant, nihil non intentatum relinquunt: sed frustra: aut Christum non verè & perfectè Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech esse, aut hanc inter utrumque similitudinem concedere coguntur. Nobis hic animus non est, Sacrificii Eucharistici veritatem expressius palam facere (tractantibus ex ordine materiam de Eucharistia hîc labor incumbit) solùm eam, quàm aduersarii tantopere perhorrescunt, similitudinem tanquam necessariam ad hoc, ut Christus *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* cum veritate dicatur, persequi statutum est.

XXIX. Christum itaque Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech asserimus esse ex ipsius rei ab utroque oblatae similitudine. Testes asserti nostri irrefragabiles compellamus eosdem, Regium nempe Vatem, & Doctorem orbis, qui primi extitère ejusdem authores, quando divinitùs inspirati Christum primò Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech appellarunt. Quid enim est Christum Sacerdotem secundum hunc ordinem prædicare, quàm illam ipsam similitudinem affirmare? ordo hîc ritum rationemque specificam Sacerdotii Melchisedechiani significat, prout hoc ab Aaronico, & quovis alio distinguitur, ut quid enim aliàs tam signatè hujus ordinis fieret mentio? cerrè Apostolus. Hebr. 7. ita Christum, *secundum ordinem Melchisedech* asserit, ut

nolit



nolit illum dici Sacerdotem secundum ordinem Aaron : unde Kemniti-  
 tius adversariorum non postremus p. 2. exam. ait : *typus Sacerdotii Melchisedech consistit in his, quæ non communia habet cum Sacerdotio Aaronis; sed in quibus discernuntur Melchisedech & Aaron.* At in quo magis discernuntur in ratione Sacerdotii, quàm in re oblata? characteres alii, quibus inclaruisse Melchisedechum legimus, aut Sacerdotio extrinseci sunt, & indifferenter ad illud se habent, aut in hac similitudine fundantur: Superior erat Melchisedech Abrahamo, à quo decimas accepit, cui etiam benedixit : Superius illius Sacerdotium dicamus Aaronico; at unde hæc Sacerdotii præcellentia, nisi spectatâ oblatione panis & vini, sub cujus umbra tegebatur veritas Sacrificii Eucharistici.

XXX. Redeamus iterum ad principes sententiæ Catholicæ testes & assertores. Paulus Davidicis Christum Verbis Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech nuntiat, & psaltes vaticinium in Christo impletum docet : at psaltes ipse Regius suo vaticinio quò respexit? quisnam Melchisedech, secundum cujus ordinem venturum Messiam Sacerdotem prædicat? nonne ille, cujus Gen. 14. v. 18. fit mentio? neque alius ante aut post Davidem occurrit; & quæ hostia (ordo enim & species Sacerdotii ac Sacrificii pendet & desumitur ex re oblata, sive victima, quæ certo modo ac ratione Deo immolatur, seu ex functione Sacerdotii, & oblatione victimæ ac Sacrificii) quæ; inquam, hostia secundum quam Melchisedechum Sacerdotii Messiae typum vaticinatus est? nonne eadem, quæ ibidem describitur? neque enim iterum alia alibi oblata reperitur, ut nisi inde ordinem Sacerdotii Melchisedech, ejusque Sacrificii oblationem & ritum colligamus, nusquam in Scripturis colligere detur. Qualis verò ibi hostia describitur? *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Ecce panem & vinum protulit, ut panem & vinum hostiam oblationis Sacerdotalis fuisse pateceret: Habemus hinc Sacerdotem Melchisedech, habemus & ordinem hujus Sacerdotii ex oblatione panis & vini, huic assimilandum prophetavit David, & jam assimilatum declarat Paulus Christum, nimirum quando pridie, quàm pateretur, sub speciebus panis & vini corpus & Sanguinem suum primus obtulit, & in Ecclesia jugiter offerendum instituit.

XXXI. Necdum exhaustimus verba prophetæ & Apostoli : uterque Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech appellat *in æternum.* Quomodo in æternum? si ex eo dicas, quod passionis Sacrificium

crificium continuè pro nobis exhibeat in cœlo sive ad gratias ipsis etiam Beatis accidentales obtinendas, quod meritò dubium esse potest, si post diem iudicii loquamur, sive in gratiarum actionem: pro beneficiis præcedentibus, adeoque quod fructus illius Sacrificii perpetuè duret, non multum equidem repugnabimus, sed æternitatem effectus causæ tribuis, tropicè loqueris, & quod caput est, Sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech potius quàm alium non ostendis: nonne sic quævis ærumna Christi nostrî causâ olim tolerata æterna dicenda erit? quin & Sacrificium Noë æternum erit, quod fructus ejus prohibitio diluvii æternum duret. *In æternum* itaque hîc idem esse contendimus, ac ad finem usque mundi, consummationem sæculorum: nec infrequens est in scripturis sacrishæc loquendi formula tempus longissimum designari: Sacerdotium etiam Aaronicum cum lege cessaturum sempiternum pronuntiatur. Apost. ipse Hebr. 7. v. 24. 25. hoc se sensu paulò ante locutum indicat; cum enim dixisset: *sempiternum habet Sacerdotium*, subdit: *unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* negari nequit, quin illud: *semper vivens ad interpellandum* connectatur cum illis: *in æternum: sempiternum: in perpetuum.* At Christus non interpellabit, atque si fas sit dicere, non vivet in ordine ad interpellandum pro nobis, nisi ad extremum usque iudicii diem: neque etiam salvare in perpetuum aliter accedentes, cum post extremum iudicium nullus accessurus sit pro salute per merita & intercessionem Christi impetranda. Quemadmodum igitur hæc: *semper: in perpetuum:* non veram æternitatem respiciunt, sed tempus ad finem usque mundi hujus designant, ita illa: *Sacerdos in æternum. Sempiternum habet Sacerdotium* simili termino clausum tempus demonstrant. Est igitur Christus Sacerdos, & fungitur Sacerdotiò in Ecclesia sua usque ad finem mundi, successorem, ut loquitur Apostolus, non agnoscens, per suos tamen ministros offerens Sacrificium secundum ordinem Melchisedech, ne Ecclesia Christi Sacerdote, & Sacrificio destituta, Synagogâ foret deterior aliud verò Sacrificium verè tale in Ecclesia non agnoscitur, præter Sacrificium corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, quod unum Melchisedechianâ oblatione panis & vini adumbratum olim fuisse, & à Christo principali offerente per ministros ad hoc constitutos jugiter immolandum esse usque ad finem mundi declaratur, quando Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech dicitur *in æternum*, ut reclè docent P. P. Trident.

Sess.

Sess. 22. c. 1. *In cœna novissima, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium .... Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earum rerum symbolis Apostolis .... ut sumerent tradit, & eisdem ut offerrent præcipit.*

XXXII. Melchisedechum Christi Sacerdotium, quantum ad Sacrificium & rem oblatam adumbrasse, si etiam non adeo perspicuis verbis scriptura significasset, incredibilis antiquorum in hac parte consensus sufficeret, ut homini Christiano dubitare sit nefas. Hi omnes & Christum Sacerdotem, secundum ordinem Melchisedech affirmant, & Melchisedechum aut panis & vini, quod protulisse legitur, oblationem ac Sacrificium fecisse docent, aut actione hæc figuram edidisse quotidiani novæ Legis Sacrificii. Ita Clemens Alex. panem & vinum à Melchisedecho prolatum non fuisse communem alimoniam, sed mysticâ oblatione Sanctificatum indicat lib. 4. Strom. *Melchisedech, inquit, Rex Salem, Sacerdos Dei, qui vinum & panem Sanctificatum præbuit cibum in figuram Eucharistiæ.* S. Cyprian. epist. 63. ad Cæcil. disertius loquitur: *quod autem Melchisedech typum Christi portaret declarat in psalmis Spiritus Sanctus ex persona Patris ad Filium dicens ... Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: qui ordo utique hic est de Sacrificio illo veniens, & inde descendens, quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quod panem & vinum obtulit.* Consonat S. Hier. epist. 44. ad Marcell. ita scribens: *recurre ad genesin, & Melchisedech Regem Salem bujus principem invenies civitatis, qui jam tum in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris sanguine & corpore dedicavit.* Ad damus S. August. L. 16. de Civ. Dei C. 22. ubi de Melchisedecho loquens, *ibi quippe, ait, primum apparuit Sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum.* Quid ad hæc DD. Adversarii? hominum fallibilium autoritate moveri probro sibi vertunt: at nunquid infallibilis autoritas illius est, qui loquitur Ecclesiast. 39. Sapientiam antiquorum exquiret sapiens, narrationem virorum nominatorum confervabit. Sapientiam igitur & ipsi, & veritati, quam satis perspicuè scriptura sacra, quam manifesta commendat antiquorum traditio, subscribant.

XXXIII. Quid subscribere tergiversantes retrahat, percipite, & quam nullo jure tergiversentur, judicate. Apostolus, inquiunt, Hebr. 7. enumerat characteres Sacerdotii Christi omnes in Melchisedecho præfiguratos, nullâ factâ similitudinis mentione ex parte rei oblatae. De-

mus Adversariis, quod ajunt: quid tum? Scopus Apostoli eo loci fuerat docere Christum Sacerdotium esse nactum multo præstantius, quam esset Aaronicum; hanc autem prærogativam Sacerdotii Christi præcipue contemplatur in perpetuâ duratione, in decimatione Levitarum, in unctiōne spirituali, ac virtute indissolubilis vitæ, & non secundum legem mandati carnalis, inque iis, quibus Melchisedech typum gessit ac figuram Christi, ejusque Sacerdotii expressit dignitatem. Hæc ad propositum finem in illâ epistolâ sufficiebant, ut hebræorum animos à Sacrificiis Aaronicis, quæ magno adhuc in pretio habebant, expositâ novi Sacerdotii in typo Melchisedechi excellentiâ penitus removeret. De hostiæ genere, quod ad ordinem Sacerdotii spectaret, & ad demonstrandam Sacerdotii Christi dignitatem specialiter non faceret, explicatius agere consultum non duxit, cum hebræi facti essent, ut loquitur Cap. 5. v. 12. *quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Neque tamen omnino dandum Adversariis Apostolum penitus silentio præterisse illam ipsam, de quâ contendimus, similitudinem; eandem enim hoc ipso asseruisse Apostolum tunc, quando Christum dixit Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, dedimus N. XXIX. eandem quoque subindicaverat, quando hebræos præmonebat cap. 5. v. 11. alia latere in Melchisedecho mysteria, quæ ipsorum cruentis adhuc victimis addictorum captum superarent, de quo, inquit, *nobis grandis sermo & in interpretabilis ad disendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.*

XXXIV Opponent iterum, & Gen 14. v. 18. nullum intervenisse Sacrificium persuadere nituntur duplici momento, dicam, an observatione grammaticali, prior est, quod panis & vinum non *offerri* sed *proferri* dicantur, nimirum ad militum Abrahami ex cæde fessorum refocillationem: posterior, quod lectio Vulgatæ nostræ habeat: *erat ENIM Sacerdos*, quæ particula causam sacræ oblationis exprimit, cum legi debeat ex Hebræo *& ipse Sacerdos*. Quæ particula copulativa est nullam exprimens causalem. quid si & hic tantisper dissimularetur quod volunt adversarii, nullam l. c. extitisse oblationem panis & vini, nonne ipsis incumberet, aliud ut assignarent Sacrificium Melchisedechi? & quod illud? mactatas pecudes obtrudent? de his altum in scripturis silentium. Sed & has immolarunt Abel, Noë, Abraham, & Sacerdotes Aaronis, nec tamen Christus dictus est unquam Sacerdos secundum ordinem alicujus ex his omnibus. Nec sola ratio typi, quâ Melchisedech Christum figurabat, sufficit: Abel, Noë figuræ Christi erant, ipsa quoque cruenta Levitarum sacrificia sacrificium Christi in cruce præsignabant, neque tamen iterum Christus Sacerdos

dos erat secundum ordinem Abel, Noë, aut Leviticum: aut igitur nullum plane fuit Sacrificium Melchisedech, & Christus frustra dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, aut revera panem & vinum obtulit, & similitudine rei oblatae Sacrificium Eucharisticum præfiguravit. Quod panis & vinum non offerri sed proferri dicantur, non obstat: nunquid etiam quæ offerenda sunt, proferri debent: cæterum illud proferens hic idem sonare, ac offerens discant Adversarii ab ipsis Rabbiniis hebræorum: Rab. Samuel Ben-Nahaman ad verba Gen. cit. ait: *erat enim ipse Melchisedech sacrificans panem & vinum*. R. Ben-Jahir verba illa sic exponit: *protulit, exire fecit*, hoc est, *separavit à cessatione sacrificiorum sacrificium panis & vini*. Quod panis & vinum Abrahamæ sociis pro refectioe data sint, non evincit, non fuisse oblata; ampliorem hinc figuram Eucharistiæ agnoscere datur, quæ non solum ut sacrificium Deo offertur, sed ut Sacramentum pro refectioe animarum fidelibus communicatur. Ultimum quod attinet perinde esse potest sive legas juxta vulgatam *erat enim*, sive & *ipse Sacerdos*. Manet commemoratio Sacerdotii, ex qua bene arguimus oblationem panis & vini sacerdotalem; ad quod enim aliàs fieret illa commemoratio? ad benedictionem sequentem referre non licet, tum ab signum periodi post verba: *Sacerdos Dei altissimi*: clausæ, & membrum subsequens dividens à præcedente, tum quod benedictio de se non esset functio sacerdotalis, sed superioris; unde & Apostolus Hebr. 7. v. 7. ex benedictione Melchisedechum Abrahamo superiorem, non Sacerdotem fuisse infert, cum benedixisse legantur plures non Sacerdotes.

XXXV. Lepidum est, quod nonnulli obmovent, oblatione panis & vini non discerni Sacerdotium Melchisedechianum ab Aaronico, quoniam & filii Aaron panem & vinum offerebant. Nam latum discrimen est, Melchisedech in pane tantum ac vino sacrificium obtulit, non in cælis hostiis, animantibusque mactatis, cum nullum harum in scripturis extet vestigium. Sacerdotes Aaronici sacrificarunt potissimum animalia, & quandoque immolarunt unâ cum libationibus Exod. 29. & Num. 28. unde oblatio panis & vini Aaronicis propria non fuit, utpote non sola aut non præcipua.

XXXVI. Hæc de Sacerdotio Christi ad Pl. 109. v. 4. & Hebr. 5. v. 6. 2c 7. v. 17. secundum præscriptos brevitatæ limites dicta sufficiant. Nova non dedimus, quia Catholica, & vel hinc antiqua & vera, atque ut opinamur Catholicè; consentientem nobis lectorem unicè cupimus, ut ab omnibus Summo secundum carnem in terris Pontifici nostro secundum ordinem Melchisedech ex similitudine rei oblatae dicto, Verbo Incarnato sit cum ordinem Patre & Spiritu S. honor laus & gloria.

PO.

## POSITIONES THEOLOGICÆ DE INCARNATIONE.

1. **E**xistentiam Incarnationis reddunt cuius evidentem credibilem motiva  
credibilitatis tum generalia tum Specialia.
2. Eadem contra Judæos probatur ex Gen. 49. Dan. 9.
3. Messias in L. V. promissus est Iesus Filius B. V. verus Deus & verus homo.
4. Maria est verè Deipara, ante in - & post partum semper Virgo.
5. Incarnationis necessitas non erat nisi ex hypothesi condignæ satisfactionis  
præstandæ.
6. Unio verbum inter & humanitatem est vera, physica, substantialis facta  
in unitate personæ, non naturæ, nec operationis.
7. Honorius in causâ Monothelitarum nihil definiuit contra fidem.
8. Solum verbum assumpsit naturam humanam immediatè secundum proprie-  
tatem relativam.
9. Datur vera communicatio Idiomatum in Christo sub certis regulis non  
in sensu Ubiquistarum.
10. Satisfactio Christi est condigna & superabundans etiam independenter  
ab acceptance.
11. Valor personalis meritorum Christi est simpliciter infinitus.
12. Christus meritis est nobis omnes gratias peccato Adæ posteriores, sibi  
gloriam corporis, & exaltationem nominis.
13. Christus etiam vi unionis hypostaticæ fuit proximè impeccabilis.
14. Habuit verum præceptum mortis, non tamen obligans sub culpâ &  
penâ stricte tali.
15. Mortuus est liberè, & pro omnibus ac solis hominibus.
16. Anima Christi præter scientiam beatificam habet etiam per se & per  
accidens infusam.
17. Fuit sancta sanctitate substantiali & accidentali.
18. Ad patranda miracula humanitas Christi probabiliter concurrebat tan-  
tùm moraliter.
19. Christus homo erat verus Filius Dei naturalis, Caput omnis Ecclesiæ,  
& probabiliter etiam dominus habens dominium directum totius mundi.
20. Humanitas Christi hypostaticè unita cum verbo adoratione latricæ ado-  
randa est.
21. Sancti in celo licitè coluntur cultu religioso absoluto, imagines autem  
respectivo.
22. Pium & licitum est, sanctos in celo cum Christo regnantes invocare,  
ut pro nobis apud Deum intercedant.

O. A. M. D. G.

© The Tiffen Company, 2007

# TIFFEN® Gray Scale



# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

